



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 78. Maximiliani contentio cum Flandris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV. sit ; hunc Andreas ejus Filius contra
A.C. 1488. Theodorum Gazam admodum enervi A-
 pologia vindicabat.

§. LXXVII.

Mors Alexandri de Imola.

*Fichard. in
 vis. Juris-
 conf.*

*Leand. Al-
 berti descrip.
 Ital.
 Possevin. in
 Appar.*

Eodem anno Alexander Tartagnius, ab
 ortus sui loco dictus de Imola, cele-
 bris Jurisconsultus naturæ debitum sol-
 vit, annos natus quinquaginta quatuor.
 Sepultus est Bononiæ in Ecclesia FF. Præ-
 dicatorum, ubi sepulchrum in ejus hono-
 rem conditum e marmore exurgit. Ma-
 gistrum habuit Joannem de Imola, ipse
 vero summa laude solidos triginta annos
 Juris præcepta Parisiis, Ferrariæ, ac
 Bononiæ tradidit. Scripsit Commenta-
 rium in sextum librum Decretalium, &
 in *Clementinas*, præter complures alios
 juris civilis tractatus, qui omnes Ve-
 netis, Francofordiensibus, & Lugdunen-
 sibus litteris excusi prostant. Ejus quo-
 que vita a Nicolao Antonio Gravatio de-
 scripta tractatui de consiliis præfixa ha-
 betur.

§. LXXVIII.

Maximiliani contentio cum Flandris.

Hoc anno millesimo quadringentesimo
 octogesimo octavo Romanorum Rex
 Carolo de Mannevilla negotium dedit,
 ut

ut Rassinghamium, quem sibi non minus aduersum, quam Gallis addictum compererat, comprehenderet, captumque ad Vilvordiæ castrum abstraheret. Ast quidam nomine Liekerkes secreti mandati conscius, tanta dexteritate usus est, ut Rassinghamium ex arce ereptum, Tornacum conduceret, qui ambo haud multo post tempore Gandavum delati, civibus ea, quæ Rassinghamius pro patriæ salute a Maximiliano perpessus esset, exponebant, simulque Flandriam a Germanis sæde devastari referebant. Sola horum narratione jam credula gens ad communem seditionem accendebatur, unde mox ad arma convolant Gandavenfes, Cortracum dolo occupant, atque Ypram voluntaria deditioe sibi vendicant. Hac indignitate facti Romanorum Rex graviter commotus, nulla mora Flandriam pro summo imperio sibi subicere, ac rebelles aperto Marte compescere statuit.

Sæcul. XV.
A.C 1488.

§. LXXIX.

Maximilianus Brugis custodiae datus.

Magnæ molis erat Romanorum Regis consilium, illudque præprimis Brugeses sibi oppido fatale futurum præsentiebant; verebantur enim, ne Rex Gandavensibus superatis in eos quoque, utpote illis iramoto studio addictos, totum